



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

Sermo IV. Domus Sapientiae sensu parabolico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)



S E R M O IV.
D O M V S S A P I E N T I Æ.

Sensu parabolico.

A R T I C U L U S I.
T E M P L U M. S Y N A G O G A.

PARABOLICE per Domum Sapientiæ intellexisse putatur Salomon, Templum Jerosolymitanum, & in eo congregari solitam Synagogam Judæorum. Quæ est expositio Rabbīnorum communis, qui totum eum locum in Proverbiis de Templi constructione, & quæ in illo erant interpretantur. (a) Est que haud difficilis applicatio. Siquidem Salomon Sapientiâ divinitus sibi indita, & consequenter ipsa in illo Sapiencia, aut Sapiencia Dei, vel Deus per Sapienciam, ædificavit Sibi. Deo Opt. Max. à quo non distinguitur Sapiencia increata, cujus participatio est omnis creata, Domum, nempe, Templum, cujus figura & fabrica, quoad præcipuas ejus partes interiores & exteriores describitur lib. tertio Regum cap. vi. ubi vocatur Domus, quam ædificabat Rex Salomon Domino.

In eo ad fulcimentum, & ornatum fuerunt Columnæ septem, id est, multæ: aut, si lubet definitum numerum accipere, habes, quem sequaris, totius fabricæ diligentem

(a) Hieronimi Prado in Ezechiel. cap. 5. Vilalpan. in cap. 40. Ezechiel. Tom. 2. p. 2. lib. 3. cap. 20.

tem inspectorem, & mensuratorem peritum Joan Bap. Vilalpandum, qui asserit, præter plurimas columnas, quibus fulciebatur Templum, fuisse præcipuè septem columnas porticum Templi, id est, atrii, quod erat Templum populi, qui non ingrediebatur Sanctum, solis sacerdotibus destinatum locum, sicut nec Sanctum-sanctorum, Soli Pontifici. Pro singulis ergo Atrii portibus docet septenas fuisse columnas hinc & hinc, hoc est univèrsim quatuordecim, iisquæ representatas fuisse tres tesseradecades Genealogiæ Christi, quas enumerat Evangelista Matthæus primo cap. Nam tres erant Porticus, quare, si quæque habebat tesseradecadem columnarum, scilicet, columnas centenas in uno ordine, & septenas in altero illi opposito, tres erant columnarum æquæ ac genealogiarum Christi decades.

JAM verò, in eodem Templo Sapiaentia proposuerat Mensam hoc est, Altare, in quo victimæ Deo mactabantur, cum libamine, nempe mitione & effusione vini: nec deerat alia Mensa continens Panes propositionis. Ibidem docebatur è Cathedrâ varia Sapiaentia, nimirum, fides, religio, virtutum exercitia, observatio Legis, cultus divinus: ad quas prælectiones sacras audiendas, mittebantur in omnes partes Ancillæ Sapiaentiæ, præcones verbi, Prophetæ, Ecclesiastæ, Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi. **TEMPLUM** dum nômimo, ut parabolice Domum Sapiaentiæ, nolim accipi solum materiale ædificium, ex lapide, ligno, calce, parietibus ac tecto superposito; sed animatû etiam desigmo, quod fuit **SYNAGOGA**, hominum in Templo congregatorum ad audiendos Magistros Sapiaentiæ: nam & in hoc habitat Doctrix illa, ac mensæ suæ facit participes auditores factoresque eruditionis suæ:

Prima pars:

I

ARTI:

ARTICULUS II.

GYMNASIUM, ACADEMIA.

SUPERIORI jungenda est explicatio quorundam re-
 centium doctissimorum virorum, qui per *Domum*
Sapientiae arbitrantur significari *Ædificium* ad docen-
 dum & discendum publice constitutum, sive id vocetur
Gymnasium, sive *Academia*, aut more Hebræorum, *Domus*
doctrinae: quomodo Chaldaeus Genesis xxv. nominat ea
 tabernacula, quæ dicitur inhabitasse Jacob *Sapientia*
 studiosus. Censet igitur, Salomonem ædificasse juxta
 Regiam & templum, immò in atrio templi amplissi-
 mum *Gymnasium*, sive *Academicum palatium*, in quo
 Doctores profiterentur *Sapientiam*: quod idcirco non
 tantum *Domus Sapientia*, sed & *Sapientia* dici potuit, quo
 pacto Romæ appellatur vasta illa moles, in qua discipuli
 narum omnium Magistri prælectiones habent. Ut hic
 locus suas haberet *Cathedras*, excidit columnas septem
 & aptavit in septem *Artium liberalium* suggestu, sive
 præaltas ex marmore elaboratas *Cathedras*, in quibus
 sedendo aut stando docerent magistri. Alii per septem
 Columnas indicari etiam putant, septem auditoria, au-
 las, seu classes, & Scholas, ut nunc loquimur, in quibus
 cathedræ marmoreo ornatu visendæ erectæ fuerint,
 quibus Doctores artes omnes liberales, quisque suam
 profitebatur. Ex antiquis Optarus Milevitanus aliquando
 habet scribens contra Parmenianum lib. i. quod huc fa-
 cit: exponens enim illud Isaiaë xxii. *Onus vallis visionis*
 hunc in modum commentatur: *Non ait, in Sion sed in valle*
eius valle: non in illo monte Sion, quem in Syria Palæstina
 mu-

in muris Ierusalem parvus determinat rivus, in cuius vertice est non magna planities, in qua fuerunt septem synagoga, ubi Iudeorum populus conveniens legem per Moſen datam diſcere potuiſſet. Inde ſcriptum eſt in eodem Propheta: *De Sion exhibit lex & Verbum Domini de Ierusalem, Iſaiæ ſecundo cap.* Ex Rabinis Aben-Ezra ſeptem columnas interpretatur ſeptem Artes liberales: Scientiæ enim, inquit R. Levi, ſunt columnæ prudentiæ & Sapientiæ. Nec abſurdâ analogiâ dicere poſſes, Columnas ſeptem, deſignare ſeptem Artium aut ſcientiarum Profeſſores conſiſtentes in cathedris: ſunt enim Columnæ, qui populum in veritate ac Sapientiæ dogmatibus erudiunt. Quomodo ad Galatas II. ſcribit Paulus de Coapoſtolis: *Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur eſſe Columnæ.*

ANCILLÆ à Sapientiâ miſſæ ut vocarentur ad Arcem & ad mœnia Civitatis ſignificare poſſunt in hoc interpretandi genere diverſas Facultates, quomodo nunc appellamus, Oratoriâ, Philoſophicam, Legalem, Theologicam, quæ tradebantur in Academiâ, & auditores ab inferioribus ſtudiis ad altiora invitabant; tum verò etiam ſua ſpecie, & obſectorum elegantiam alliciebant, non modò Jeruſolymites & Judæos, ſed exteros etiam ac profelytos, ut venirent ad Arcem; mœnibus ac propugnaculis munitiſſimâ in qua Domum doctrinæ Salomonem conſtituiſſe, ſunt, qui exiſtimant, ut exciperent ex ore Profeſſorum, Sapientiæ dogmata. Quò fortasſe ſpectat aliquatenus iſtud Canticorum IV. *Sicut Turris David collum tuum (ô Sponſa) quæ adificata eſt cum propugnaculis mille clypei pendent ex eâ.* Quod Theodoretus de doctrinarum apparatû exponit, quarum copia, ſicut & Doctorum erat in domo Sapientiæ, quam arx continebat, & tuebatur. *Habet collum tuum,* inquit Sponſus, *quod eſt caput tuum & faciem ſuſtinet, omnes aliorum Magiſtrorum;*

aut aliarum Academiarum) doctrinas, quibus, tanquam iaculis cinctos aduersarios transfigis: habet etiam clypeos multos, quibus protegeris, & ignita hostis tela extinguis: munita enim es spiritus armatura, & facie hostes vulneras, cum omnibus fortium sagittis abundes, eosque modo per Prophetas, modo per Apostolos redarguis. Eodem referri potest, quod scribit Isaias capite secundo, ubi Populus anhelans ad veræ doctrinæ scaturiginem properat, & trahit secum obvios quoslibet hoc invitatorio: *Venite & ascendamus ad montem Domini & ad Domum DEI Iacoc.* quænam illa? Domus Sapientiae: sequitur enim: *& docebit nos vias suas.* Item, capite xxxiii. dicit idem Propheta de Sapientiae studio: *Iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas eius. Vbi (nisi hic) est litteratus? ubi legis verba ponderans? Vbi Doctor parvulorum? Lxxra legunt, Vbi grammatici? ubi conciliatores? ubi est, qui numerat eos, qui nutrantur.* Quibus indicari opinatur non nemo, in Gymnasio arcis Sion, & Academia Salomonica, præter Doctores facultatum superiorum, scholis præfuisse etiam Grammaticæ peritos. Quod dixi de Gymnasio in altissima montis planitie aperto confirmari potest ex Iustino Mart. qui dialogo contra Triphonem, asserit, antiquos Mithræ, hoc est, Solis sacerdotes, imitatos fuisse Hebræos in saxorum Sionis sublimitate docentes, quippe qui ad eum modum in speluncâ saxæ discipulos suos erudierint. Quod scribit etiam non uno loco Tertullianus. (a)

Ad splendorem autem, & decus immortale Academiae istius Jerosolimitanæ facit, quod qui illam fundavit sapientissimus Salomon, primus in eo jam ædificato docere publicè cæperit, Professor excellentissimus, cum privatim domi suos prius docuisset. Hinc tantum auditorum undique confluentium accursus. *Veniebant* inquit

(a) Tertull. lib. de cor. milit. lib. de præscript. cap. 4.

inquit scriptura, de cunctis populis ad audiendam Sapien-
 tiam Salomouis. & ab universis Regibus terra, qui audiebant Sapien-
 tiam eius. Et quos ad contemplationem sui Jerosolyma
 non traxerat, unius Doctoris Sapien-
 tiam fama perduxit ut
 asserit P. Hieronymus epistola ad Paulinum. Porro,
 cum templum Jerosolymitanum habuerit portas, por-
 ticus, exedras, receptacula audirorum ac professorum,
 immò domunculas pro fœminis Deo consecratis, exi-
 stimant nonnulli locum Academix, seu Domum Sapi-
 entix, fuisse in Porta Templi, (a) Orientali, ut Arias
 Montanus, & S. Antoninus, (b) qui sentiunt, sive in
 porta, sive in porticu magisterium exercuisse Doctores
 Academicos: aliis haud magno discrimine, in atrio,
 juxta portam Orientalem. De quo loco accipi potest il-
 lud Pauli Apostoli Actuum xxv. Neque in templo inve-
 nerunt me cum aliquo disputantem: nimirum, in Gymnasio,
 quod in templi atrio erat: quamvis nullum fit incom-
 modum, si porticus Salomonis intelligatur, ut Joannes
 Lorinus monuit.

CONVENIENTIBUS. ad Auditorium Academicum,
 hic erat ordo confidendi, quem ex traditione synagogæ
 refert S. Ambrosius In ad Corinth. 14. Sedentes disputa-
 bant seniores è cathedris, juniores in subselliis, novissimi
 in pavimento supra stratas humi stercas excipiebant
 doctorum dicta. Quo spectabat illud Pauli Apostoli
 Actuum xxii. Nutritus sum in ista civitate, nempe, Jerusa-
 lem, secus pedes Gamalielis, eruditus iuxta veritatem paterna le-
 gis. Nam non interierat Academia Salomonis & hoc Sa-
 pientix gymnasium tempore Christi, qui præsentia sua
 & auctoritate illud honorare voluit quando parentes
 invenerunt illum in templo sedentem in medio Docto-
 rum, ut est Lucæ secundo. Denique ad Academix huius

I 3

excel-

(a) *Mans. in Apparatu* (b) S. Ant. 1. par. tit. 5. cap. 1. §. 5.

excellentiã spectat, quod ipsa fuerit antiquissima, si comparetur cum externorum gymnasiis, ut Matrix dici possit reliquarum Academiãrum, eo loquendi genere, quo matricem arborem vocavit suetonius in Augusto ex quã stolones succreverunt, & quo matrices urbes appellantur, quã à Græcis *μετροπόλεις*, ex quibus multæ aliæ urbes natæ & ductæ sunt. Nam ex eã prodierunt, Pythagorica, Socratica, Platonica, Aristotelica, harum enim auctores ac magistros, ceterosque Gentium Philosophos à Salomone, & Hebræis Sapientiæ dogmata accepisse ostendunt Patres antiqui, Eusebius, (a) Clemens Alexandrinus, (b) & alii.

(a) lib. 3. de prepar. Evang. cap. 13. (b) lib. 1. Stromat. S. Ambro. lib. 1. Epist. 6.

A R T I C V L V S III.

ENCYCLOPÆDIA

Orbis Scientiarum.

ADICTA interpretatione non multum abit illa pervertus quorundam, cuius meminit Origenes, qui Domum Sapientiæ voluerunt esse orbem universum scientiarum, quæ eruditis ENCYCLOPÆDIA dicitur, tracto nomine à circularis figuræ perfectione, ut Latine dici possit *Circularis* vel *Orbicularis scientia*: nempe, artium omnium & disciplinarum perfecta scientia: Ugoni de S. Charo Cardinali commentanti in Proverbia Salomonis, vocatur *Philosophia Domus Sapientiæ*, inquit, est *Philosophia*. Septem Columnæ sunt septem Artes liberales, scilicet, *Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Arithmetica, Musica, Geometria, Astronomia*: deinde ad mores parabolam transfert, & septem illis Disciplinis, quomodo uti debet *Sapientiæ Auditor*: & quomodo in ædificio suo tanquam

quam Columnas erigere eas possit, edocet: denique, quinam earum aliqua, vel omnibus careant, accommodate ad morum informationem, declarat. Præmittit autem: Sapiencia excidi iubet has columnas, à vanitate, & à superfluitate. Unde Deuteronomii XXI. præcipitur, ut puellæ captivæ ungues, & cæsaries refecētur. GRAMMATICAM docet rectè loqui, Hunc Columnam non habent in Domo sua, qui nunquam aperiunt os suum ad loquendum verbum DEI, cum tamen ex officio teneantur. De quibus Isaia LVI. *Speculatores eius ceci omnes, nescierunt universi: canes muti, non valentes latrare.* Nescientes etiam loqui Spiritualiter. Unde, cùm interrogantur, ut dicant *schibbolet*, quod interpretatur *Spica*, ut non moriantur, haud valentes exprimere *spica*, eadem littera, respondent *sibbothet*, quod interpretatur *Spica paleæ*, et ideo jugulantur, ut Judicium XII. Ephrathæi. Vel certè, primam Columnam, id est, Grammaticam, non habent detractores, qui nunquam rectè loquuntur de aliis, & barbarismos, & solæcismos committunt frequenter, cum firmæ athenori proximorum sordes aspergunt. At Grammatica rectè & congruè loqui docet. DIALECTICA, quæ est, secunda Columna, carent adulatores, qui falsis aurium illecebris, tanquam poppylmis magnatibus imponunt. Illa autem docet vera eloqui, RHETORICAM non habent illi, qui turpia & scurrilia loquuntur, fescenninis veneriisque jocos sermonem infarciunt. Siquidem *Rhetorica* docet sermonis & orationis purum ornatum, non impuritatis fœditatem ARITHMETICA destituti sunt superbi, arrogantes, fastuosi, qui in aliorum numero nolunt computari, singularitatis extra aliorum censum amantes, qui in coagmentate cum aliis vivere detrectant, Societatis osores. Nam *Arithmetica* docet conflare & congruentare numeros, a chorum

Proportionem. Talis fuit Pharifæus ille, qui orabat se
eximendo ab aliorum consortio Luc. xviii *Gratias tibi ago Deus, quia non sum sicut ceteri homines.* Talis Lucifer qui
nolens esse in aliorum numero gloriabundus jactabat:
Conscendam in celum, & ero similis Altissimo. Isa. xiv. In
mante Congregationis, excidit Sapientia, ut in Domo
sua, columnam quartam, nempe *Arithmeticam*. Musi-
CAM ignorant schismatici, & proximorum ofores. Hæc
enim docet sonorum concordiam, harmoniam, con-
centum, & tenorum proportionem, unde pulcherrima
consonantia: Illi discordiam amant, & confusionem in-
gratissimam. GEOMETRIAM non callent divites avari
Eucliones sordidi, Epulones prodigi: nam male mensu-
rant, sibi omnia retinentes aliis indigentibus, & nihil
habentibus: sine ullâ mensura opes appetunt, & meræ
Justitiæ transilientes, contra jus fasque aliena invadunt
ac detinent. *Geometria* autem mensuras ponendi artem
præscribit. ASTRONOMIAM nesciunt homines lascivi
& luxuriosi: cum enim ea Disciplina doceat cõtemplari
cælum, & cæli motus, cursusque siderum, ac proinde ad
cælum oculos attollere, juxta illud decantatum in gym-
nasii:

Pronaque, cum spectent animalia cætera terram,

Os homini sublime dedit cælumque videre

Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Illi, ut porci oculos & os semper habent in cæno, ac
volutantur in luto.

PORRO, cum septem istis columnis incumbat, velut
rectum, *Physica, Ethica, Metaphysica, seu Theologia*, facile est
has quoque ad mores accommodare: *PHYSICA* con-
templatur Ens mobile, quod proprium ejus est obje-
ctum. In *Physica* non sunt versati, qui in rebus mundanis
constantiam exquirunt, & quod est mobile, tanquam im-

mobile apprehendunt, & conſectantur ETHICA totius vitæ finem, quæ eſt beatitudo vel felicitas, & ad illam media, quæ ſunt virtutes, conſiderat. Ejus peritiam non habent qui nullum veræ felicitatis ſcopum ſibi proponunt: neque actiones ſuas ita moderantur, ut ad finem ad quem à DEO ſunt conditi, conducant, vitiorum ſectatores, non virtutum. THEOLOGIA DEUM ac Divina ſpeculatur: à quâ alieni ſunt, qui non niſi in humanis occupantur, homines terrenis, & quæ carnem ac ſanguinem ſapiunt, dediti. Ita ferè Domum Sapientiæ parabolicam, quatenus Encyclopædiam designat: auctores illius interpretationis conſtituunt, & moralibus emblematis exornant.

ARTICULUS IV.

DOMUS SAPIENTIÆ MUNDANÆ

Quæ inimica eſt Deo.

Huius deſcriptionem deſumo ex Cardinale Ugone Ordinis Prædicatotorum in caput IX: Proverb. Quare, ſi quid cuiſpiam in illâ videatur minus probum, Auctorem conveniant. Habet inquit ille, Diabolus ſuam Domum, ſcilicet Sapientiam huius mundi, quæ inimica eſt Deo. Cujus ſeptem ſunt Columnæ, Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Arithmetica, Muſica, Geometria, Aſtronomia. Habet enim Diabolus Grammaticos ſuos, ſicut & DEUS ſuos. GRAMMATICI Diaboli ſunt omnes Hypocritæ, qui rectè & congruè loquuntur, ſed congruè ad impoſturam. DIALECTICI Diaboli ſunt omnes Dolofi, qui ſophiſticè loquuntur, ut decipiant. De quibus Eccleſiaſtici XXXVII. *Qui ſophiſticè loquitur, odibilis eſt.* nimirum Deo & hominibus. RHETORES Diaboli ſunt advocati, qui cauſas iniquas ſoverint potentum: cauſa autem

tem pupilli & viduæ, non ingreditur ad eos, ut dicitur
 saia 1, Caussidicorum lingua damnifica est, nisi eam fu
 nibus argenteis vincias. ARITHMETICI Diaboli sunt o
 mnes, qui habent Numerum præbendarum: sive Beneficiorum.
 De quibus dicitur Apocalypsis XIII. *Et vidi de mari Belli
 am ascendentem habentem capita septem, id est, septem Epi
 scopos: & Cornua decem, id est, decem dignitates, & su
 per cornua ejus decem diademata, id est, decem Mitræ: in
 quoz enim Ecclesiis habet præbendā, tot mitras habet in ca
 pite suo, spe. sive præsumptione. Ob hoc enim præbendas retinent
 cum ad nihil aliud sibi valeant, nisi ad solam spem, ut sic Episcopa
 tum possint adipisci. Ita loquitur Cardinalis Ugo. Musci
 Diaboli sunt Adulatores, qui omnibus in bono & ma
 lo concordant, GEOMETRÆ Diaboli sunt Quidam
 superficialiter Justi, qui sibi propitii sunt, aliis autem
 austeri, Quod valdè damnabile est, maximè in Prælatis
 & Confessariis, De quibus dicit Dominus Matthæi XIX
 Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisei: Omnia ergo
 quacunque dixerint vobis, servate & facite: secundum opera. vero
 eorum nolite facere. Dicunt enim & non faciunt. Alligant autem
 onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros homi
 num: digito autem suo nolunt ea movere. In hos quadrat illud
 Proverbior. XX. Abominatio est apud DEUM pondus & pondus
 statera dolosa non est bona. ASTRONOMI Diaboli sunt curio
 si, qui relictis necessariis de cursu siderum diligenter in
 quirunt. quib⁹ dicitur Ecc. III. *Altiora te ne quæsieris, & futu
 riora te ne scrutatus fueris: Sed quæ præcepit tibi DEUS, illa cogita
 semper, & in pluribus operibus eius non eris curiosus. & Cato
 Mitte arcana DEI, calumq; inquirere quid sit.**

SER. V. Nam
 scribens